



Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni
magni ad trigesimum ...

Christopherson, John

[Köln], 1569

Quomodo Constantinus Christianorum mysteriis instructus, sacris literis
operam dederit. Cap. XXVI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29861

quantam spectatoribus ob suam pulchritudinem excitavit admirationem: Istud igitur velamē ad cornu affixum, longitudinis latitudinisq; crucis mensuram penitus exequavit. Oblongum vero & erectum hastile in sublimi appensum, cuius pars inferior versus basim longius ducta fuit, sub ipsum crucis insigne ad texturæ discurrentis simbras, auream pii imperatoris pariter ac liberorū suorum effigiem, ad pectus vsque concinnè descriptam continuit. Isto igitur salutari signo imperator, tanquam hostilis cuiusque & infestæ violētæ propugnaculo, semper usus est. Cuius expressæ similitudines mandavit, ut uniuersum exercitum perpetuo antecederent.

*Quomodo Constantinus Christianorum mysteriis instructus,
sacris literis operam dederit.*
CAP. XXVI.

Verum ista paulò post acciderunt. Tempore autem suprà commemorato, Constantinus admiranda illa visione obtupefactus, nullum alium deum, quàm qui ipsi apparuisset, colendum esse statuēs, sacerdotes & professores religionis & verbo illius initiatos abcessit. Quis esset deus ille, sciscitatur, quid etiam sibi vellet visio illa, quæ de signo fuisset ipsi patefacta. Hi hunc deum respondent Dei vnus ac solius vnigenitum filium esse, signum autem quod apparuerat, immortalitatis notam esse, trophæumq; victoriæ illius de morte reportatæ, quæ olim, cum in terra versabatur, fuisset assecutus. Causas etiam docent eius aduentus accuratamq; illius inter homines œconomia rationem ei suggerunt. His rationibus quanquam probè erudiebatur, ille quidem, visionis tamen ipsius oculis subiectæ adhuc tenebatur admiratione. Atque tandem vbi cœleste visum cum sacerdotum interpretatione contulerat, animo confirmatus fuit: pro certo persuasus earum rerum cognitionem sibi diuinitus oblatam esse, ac propterea in diuinam sacrarum literarum lectionem iam omni cura & cogitatione incumbere secum decreuit. Itaque primum Dei sacerdotibus sibi, tanquam assessoribus ascitis, statuit

EVSEBII DE VITA

deum, qui ipsi apparuisset, omni genere cultus & obser-
uantia venerari. Deinde spe bona in illo posita firmè
munitus, de cætero permagna cupiditate ferebatur, ar-
dentes incendii tyrannici faces, ad terrorem intentatas,
penitus extinguendi.

De adulteriis Maxentii, Romæ perpetratis.

CAP. XXVII.

ET enim qui urbem omnium reginam vi & armis oc-
cupasset, tatum iam scelere & impietate processerat,
vt nullum audax, nullum nefarium, & impurum fa-
cinus omnino prætermisisse videretur. Nam cõiuges le-
gittimas vi à viris abstraxit, easq; turpissime oppressas
violatasq; ad viros remisit: idque petulanter & contu-
meliose admisit nõ in ignobiles, aut obscuros, sed in eos,
qui in senatu Rom. facilè primas tenuerunt. Et quanuis
infinitas ferè liberas, & ingenuas mulieres per vim flagi-
tiosè violasset, nullo modo tamen poterat intemperan-
tem & effusam animi sui libidinem explere. Postquam
autem in Christianas mulieres cæca cupiditate ferri cœ-
pit, non potuit omnino per suos prouidere, quò facilis
sibi ad eas pateret aditus. Nam illæ citius vitam cum
morte commutare volebant, quàm corpus ei violandum
permittere.

*Quoniam pacto vxor præfetti, propter tuendam pudici-
tiam mortem sibi consciuerit.*

CAP. XXVIII.

EX quibus vna, eaq; verè Christiana, viro ordinis se-
natorij, qui præfecturam Romanorũ gerebat, in ma-
trimonio collocata, vbi illos, qui in talibus flagitiis
tyranno subseruire consueuerant, pro foribus ædium
adesse, & virum suum metu adductum, illis, vt præhensam
abducerent præcepisse, accepit, exiguo temporis spatio
postulato, quo corpus consueto apparatu decenter or-
paret, in cubiculum ingreditur. Quæ cum sola esset,
gladio transfigit pectus, statimque mortua concidit, ca-
dauere per ductoribus relicto. Quæ reuera omnibus ho-
minibus,